

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Doctrina siue doctor ba
cum fonte primo

In omni genere cause necesse est
beniuolum, attentum, docilem efficere auditorem.

← in humili autem genere causae contemptionis tollendae causa necesse est
attentum efficere auditorem.

Marcus Tullius Cicero, *Rhetorici libri duo de inuentione*, 1.15 (E. Stroebel ed., p.19, ll.20-22).

→ Exordium est oratio animum auditoris idonee
comparans ad reliquam dictionem: quod eveniet,
si eum benivolum, attentum, docilem confecerit.

Marcus Tullius Cicero, *Rhetorici libri duo de inuentione*, 1.15 (E. Stroebel ed., p.18, ll.18-20).

Auditorum enim beniuolencia captabitur
si res ab eis geste fortiter, sapienter, mansuete, magnifice proferentur.

ab auditorum persona benivolentia captabitur,
si res ab iis fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur,
ut ne qua assentatio nimia significetur, si de iis quam honesta existimatio
quantaque eorum iudicii et auctoritatis exspectatio sit ostendetur;
ab rebus, si nostram causam laudando extollemus,
adversariorum causam per contemptionem deprimemus.

Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, nova,
incredibilia esse, aut ad omnes aut ad eos, qui audient, aut ad aliquos inlustres homines
aut ad deos immortales aut ad summam rem publicam pertinere;
et si pollicebimus nos brevi nostram causam demonstraturos
atque exponemus iudicationem aut iudicationes, si plures erunt.

Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus,
hoc est, in quo consistat controversia.

Attentos autem faciemus si demonstrabimus ea que dicturi sumus magna, noua,
incredibilia esse, aut ad illos qui audiunt, aut ad homines illustres,
aut ad deos immortales, aut ad summam reipublice pertinere.

Dociles auditores faciemus si aperte et breuiter summam cause exponemus.

Tullius I. rethorice.

Marcus Tullius Cicero, *Rhetorici libri duo de inuentione*, 1.16
(E. Stroebel ed., pp.20-1, ll.24-27, 1-12).